

suis causis quærere, non autem in nostris deliriis collocare. Hi sunt Carthusiani nostri temporis.

## CAP. LXIII.

Aquarii cur sic appellati. Eorum error quis fuerit.



*Quarii ex hoc appellati sunt, quod aquam offerunt in poculo sacramenti, non illud, quod omnis Ecclesia.*

I *Aquarii ex hoc.*) Hanc Aquariorum hæresin non tantum partim à Severianis, qui vini usum in Ecclesia damnarunt, profectam crediderim: partim etiam ab Helcesaitis, qui aquam pro Deo coluerunt, Thaletisque Ephesii philosophi dogma, vel errorem reuocarunt: verum etiam cum Encratitis eandem fuisse affirmarim: sed propter nominis varietatem, aliam & diuersam censeo. Nec nouum est, ut vnus & idem error, quia interpolatus, aut à diuersis sparsus est diuersis in locis, diuersarum quoque hæreseôn appellatione repetatur, & damnetur. Sic qui inter Græcos Encratitæ, apud Latinos Aquarii à dogmatis parte sunt nominati. Itaque ad idem tempus utrosque refero, & eandem illis infelicem stirpem assigno. Facit autem in hac sententiam quodammodo Isidorus, qui Severianos istis Aquariis in recensendo proximos collocat. Malim tamen ipse Encratitarum schismaticos, & propaginem inauspicatam constituere. Et certe digni erant qui non in Christianorum numero censerentur, sed ad sacra prophanorum Atheniensium quæ vocantur *Νηφάλια* & *Τειροφορία*, quod in his pro